

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Dominica IV. post epiphaniam

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

in Deum peccat, sed & sibi ipsi multum incommodat, & grave erit illi, adversus stimulum calcitrare, Act. 9. v. 5.

Tandem de famulatio ait Apostolus: Servi, obedite per omnia Dominis, Col. 3. v. 22. additque in fine, *timentes Dominum*: Timor enim Domini expellit peccatum, Sir. 1. v. 27.

Quando igitur Christiani servientes Deum ante oculos habent, recordantur hoc ipso, quod à Deo in hoc statu positi sint, videnturque sibi Deo servire, non hominibus, Eph. 6. v. 7.

Meminerunt, quod nihil sine mercede relinquat, sciuntque, si fideles inveniuntur, aliquando laudem sibi fore à Domino, 1. Cor. 4. v. 5.

Cogitant, Deum severum judicem esse, quinullam personam respiciat, sed unicuique pro merito retribuatur, sive sit servus, sive liber, Eph. 6. v. 8.

Sciunt coram oculis Dei omnia nuda & intimè patentia esse, Hebr. 4. vers. 13.

esse eos lucidiores Sole, & videre omnia, quæ homines agunt, etiam in occultissimis angulis, Sir. 23. v. 27. 28.

Hoc si Gehasi perpendisset, non propter infidelitatem leprâ percussus fuisset, quæ ipsi & omnibus ejus posteris adhæsit, 2. Reg. 5. v. 27.

Adhuc hodie nihil adeò occultè peragi potest, quod non fiat manifestum. Es wird nichts so klein gesponnen / es kommt endlich an die Sonnen.

Ideo servientes ita Dominis suis inserviant, ut ejus gloriam apud homines consequantur: sic & Dominus eos aliquando super multa constituet, Matth. 25. v. 23. ut & ipsi suæ domui suo tempore provideant, uti Jacob, Gen. 30. v. 30. & ex servis Domini fiant, uti Joseph, Genes. 41. v. 43. Verè enim gloriam præcedit humilitas, Prov. 15. v. 33. Beatus, qui probatus inveniatur, accipiet enim coronam vitæ, Jac. 1. v. 12.

Quam Jesus ex gratiâ nobis largiatur, Amen.

## DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

*Evangelium Matth. 8. v. 23 -- 27.*

EXORDIUM.

**C**Um Simon Petrus, & Thomas, qui vocatur Didymus, & Nathanaël, qui erat à Canâ Galileæ, & filii Zebedæi, & alii ex discipulis ejus duo per noctem totam in mari navigassent, & frustra laborassent: steterit Jesus, mane facto in litora; non tamè

cognoverunt discipuli, quia Jesus est: Ille monstravit ipsis, quorum rete mitterent, nempe in dextram navigii, Hoc cum fecissent, ceperunt centum quinquaginta tres magnos pisces, ut non valerent rete trahere præ multitudinem piscium, Joh. 21. v. 2.

Hoc allegoricè exponemus.

Nos

Nos Dilecti omnes in mari hujus mundi procelloso navigamus, multosque labores & calamitates devorare tenemur. Id quod sæpe magnum in nobis efficit mœrorem & perturbationem, ut lamentemur cum Spirituali Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei, Esa. 49. v. 14.

Verum quando penitius nos circumspicimus, Christus in litore adsistit, & videt quid nobis accidat, scit opera nostra, & ubi habitemus, Apoc. 2. v. 13. numerat fugam nostram, & ponit lachrymas nostras in utrem suum, Psal. 56. vers. 9. & quando momentum iræ præterit, post lachrymationem & fletum exultationem infundit, Tob. 3. v. 23. Etiam si enim affligit, miserebitur secundum multitudinem miserationum suarum, non enim excruciat homines ex corde suo, Then. 3. vers. 31.

Hoc solatio semper erigamus nos, si forte in calamitates & adversitates incidamus, expectantes Dominum, nec dubitantes, quin qui laceravit, sanaturus sit nos, & qui percussit, curaturus sit nos, Os. 6. vers. 1.

Præclarum exemplum proponitur nobis in hodierna Pericope, ubi Apostoli inter Scyllam & Charybdin navigant, propter procellam magnam venti, quæ fluctus mittebat in navim, ut jam impleretur, & pene fluctibus operiretur, Christo interea in puppi super cervicali dormiente. Hoc ipsoangebatur ut clamaret alius: Domine, salva nos, perimus! Alius, ut Marcus recenset: Magister non ad te pertinet, quia perimus, Marc. 4. v. 38. Alius: Præceptor perimus, Luc. 8. v. 24. Donec Dominus

somno solutus increpat ventum, & tempestatem aquæ, ubi cessavit, & facta tranquillitas est.

Spectabimus nunc pro instituti ratione

I. Triplicem Querelam.

II. Triplicem Medelam.

III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegetis.

DE Messia dicitur, quod Pater ejus cœlestis positurus sit manum ejus in mari, & in fluminibus dexteram ejus, Psal. 89. v. 26. quo innuitur, quod & mari imperaturus sit, ejusque tumultuantes undas reprimere possit. Usque huc pervenies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos, Job. 38. v. 11. Psal. 93. v. 3.

Specimen hujus rei edidit in prælecto Evangelio, ubi manum suam miraculosam adeo probavit, ut ab increpatione ejus fluctus quiescere, & ventorum turbines assurgere oportuerit, qui ita sæviebant, ac si naviculam conquassatam submergere velent.

Querela respicit

I. *Fluctuantem naviculam*, in quam Christus cum discipulis suis descendit. Qualis navis fuerit, non diserte exprimitur: attamen circumstantiæ indicant, non onerariam, aut præsidariam fuisse, qualibus hodie uti solent, sed exiguam scapham, qua Dominus mare trajicere voluit.

Hæc idea Ecclesiæ est, quam Deus sibi per ministerium verbi & Sacramentorum è mundi

mundi multitudine colligit, & in peculi-  
um eligit, quo aliquot ex illis ad salutem  
conferrentur.

Sicuti igitur navigium in anteriori &  
posteriori parte acuminatum, in medio ve-  
ro laxum & latum est: Ita etiam in Princi-  
pio Ecclesia arcta & quasi acuminata fuit,  
si spectamus tenuem assensum, quem Chri-  
stus habuit, ubi in his terris in servi forma  
circumcivit, venit enim in propria & sui  
eum non receperunt, Joh. 1. v. 11. Deinde  
& quasi in medio laxior & amplior facta  
est, & dispersit se per totum orbem ad om-  
nem Creaturam, quæ sub Cælo est, Col. 1.  
v. 23. Jam vero denuo, variis scæcis & perfec-  
utionibus quasi coarctatur, ut non abs re  
vocetur, pusillus grex, Luc. 12. v. 32. popu-  
lus pauper & egenus, Soph. 3. v. 12. Seda-  
ctio enim magna est. Alius dicit, hic est  
Christus. Alius ibi est, est in deserto, est in  
penetralibus. Idque Pseudo-Propheetæ  
tanto fervore & zelo agunt, ut si possibile  
foret, & in errorem abducantur electi,  
Matth. 24. v. 24.

Navicula non multum quiescit, sed  
semper progreditur, quorsum Nauclerus  
dirigit, & à vento impellitur. Ita Ecclesia  
nulli certo loco adstricta est, sed migrat de  
una regione ad aliam, prout à vento ingra-  
titudinis & contemptus agitur. Principio  
Servator navicula sua appulit in regionibus  
orientalibus, ibique aliquamdiu commo-  
ratus est. Quia vero tenebras magis dilexe-  
runt quam lucem, Joh. 3. v. 19. inde disces-  
sit & venit ad Græcos, quorum Aposto-  
lus Paulus fuit. Cum hi quoque Evangelii  
nausea caperentur, tandem naviculam  
suam adduxit in Regionibus occidentales, ad  
Romanos, & denique etiam in Germani-

am, ubi adhuc manet. Verum & abhinc a-  
vecturum eam esse videtur, quia parum  
curatur, sed temporalia æternis præferun-  
tur, Luc. 14. v. 18. seqq. Ideo res ipsa postu-  
lat, ut cum Discipulis Emaunticis oremus:  
Mane nobiscum Domine, quoniam adve-  
sperscit, Luc. 24.

Navis habet gubernatorem suum, py-  
xidem, vela, malum, remiges, anchoram,  
& quæ plura ad navigationem requi-  
runtur.

Sic & Ecclesia gubernatorem seu Nau-  
clerum suum habet, qui est Christus. Ha-  
det pyxidem magneticam, quæ est sacra  
Scriptura, malum suum, qui est crux Chri-  
sti, & quod nobis ea acquisivit. Habet vela  
sua, quæ sunt fides. Remiges sunt sancti  
Angeli, ut & fideles Ecclesiæ Doctores &  
verbi Præcones, qui omni studio cursum  
hujus naviculæ promoveretendunt. An-  
chora spes est. Fundamentum in quo an-  
chora hæc nititur, est promissio Dei. Ven-  
tus, qui naviculam agitat & propellit, est  
Spiritus sanctus, & qui se ab eo agi sinunt,  
Filii Dei sunt, Rom. 8. 14. Thesauri & bona  
quæ in navicula illa vehuntur, sunt gratia  
Dei, meritum Christi, remissio peccato-  
rum, vita & salus. Portus ad quem naviga-  
mus, est Paradisus, insula fortunata, ubi  
abundantia gaudiorum cum vultu Dei, &  
delectationes in dextera ejus, in æternum,  
Psal. 16. v. ult.

Quemadmodum vero navicula in qua  
Christus cum Discipulis suis vehebatur,  
valde periclitabatur & fluctibus pene ope-  
riebatur, ut inter decumanos fluctus vide-  
retur sepelienda & submergenda: Sic &  
Ecclesia in his terris est misera, tempestate  
convulsa, absque omni consolatione, Esa.

54. v. 11. Diabolus enim minus feriatur, sed turbines certatim excitat, quibus naviculam hanc quassare satagit. Id non moleste feramus obstupescentes tanquam ad rem peregrinam, 1. Petr. 4. v. 11. Omnes enim, qui pie vivere volunt, in Christo Jesu, persecutionem patientur, 2. Tim. 3. vers. 12. Verum gloria quæ sequetur, erit *δοξα καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν*, 2. Cor. 4. v. 17.

II. *Christi incuriam.* Dormit enim securus, quasi Discipulorum angor nihil ad se attineret. Id adhuc hodie non raro accidit, ut Deus tempore calamitatis abscondat se, & simulet, quasi neque audire neque juvare velit. Hinc clamor & lamentatio: Domine, serva nos, perimus.

Hæc non exigua tentatio est. Verus enim Christianus optimum solatium in Deo repositum habet, 2. Chron. 20. v. 12. hoc vero deficiente, facile conjicere licet, in quantas angustias tum homo conjiciatur, quod & exempla Jobi, c. 7. v. 11. Davidis, Psal. 13. v. 1. seqq. 77. v. 8. seqq. 88. v. 8. Jeremiæ, c. 14. v. 8. seqq. aliorumque satis probant.

Hic vero non tacendum, & à precibus cessandum: sed potius pergendum est, instandum est, ut Christus mandat: Petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulsate & aperietur vobis, Matth. 7. v. 7. Confer, Luc. 18. v. 2.

Dicamus igitur cum Jacobo: Non dimittam te, donec benedixeris mihi, Gen. 32. vers. 26. Josephus initio austerum se fratribus suis exhibebat, tandem cor ejus fraternum ardebat, ut non ultra se cohibere posset, quin se eis manifestaret, Gen. 45. v. 1. seqq.

Ita Deus quandoque nobis quoque austerum vultum ostendit, ut in crudelem mutatus nobis videatur, Job. 30. v. 21. Verum quando non desistimus vociferari, conturbantur viscera ejus, ut miserans misereatur nostrum, Jer. 31. v. 20. Expecta proinde Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & expecta Dominum, Psal. 27. v. ult.

Mirabile facit consilium & magnificat sapientiam, Esa. 28. v. ult.

III. *Discipulorum angustiam*, quam ipsi produnt, dicentes: Domine, serva nos, perimus.

Equidem periculosissima res est navigatio, quæ in magnam consternationem conjicit navigantes, præsertim quando sub æstu maris turbulentis aquilonibus modo ad cælos usq; efferuntur, modo ad abyssos usq; dejiciuntur, ut consilii inopes, sicut ebrii fluctuent, Psal. 107. v. 25. Ubi enim navis colliditur, vel submergitur, omnibus pereundum est, ut mireris, inveniri homines, qui tam exiguo ligno committant animas suas, Sap. 14. v. 5. Quod dum recte secum perpendunt discipuli, non temere exclamant: Domine, serva nos perimus.

Nos quoque in hoc mundo, velut in procelloso pelago navigamus, ubi certe multis tempestatibus obnoxii sumus. Abyssus abyssum invocat, ad strepitum canalium DEI, omnes undæ & fluctus ejus super nos transeunt, Psal. 42. v. 8.

Supra nos habemus DEUM iratum, quem quotidie peccatis nostris offendimus, unde movetur, ut turbinem suum é locis occultis emittat, qui vitæ & vocationis naviculam undiquaque impellit, & erran-

errantes circumagit, ut consilii inopes portum invenire nequeamus, Psal. 107. vers. 24.

Circa nos sæviunt Tyranni & persecutores, qui instar immanium balenarum naviculam subvertere, & hiantem rictu deglutire satagunt, quia putant, se hoc ipso gratum præstare cultum DEO, Joh. 16. v. 2.

Infra nos habemus Diabolum, magnum illum Leviathan, qui in mari hujus mundi dominatur, & quasi Navarchus est, unde etiam Princeps, Joh. 14. v. 30. & Deus hujus mundi vocatur, 2. Cor. 4. v. 4. Quando igitur tollit te, timent fortes, non moveretur ad lanceam, arma, & lorica, Job. 41. v. 16. seqq.

Ita undiquaque cincti, in magno discrimine versamur, ut non immerito Apostolorum querelam ingeminemus: Domine, serva nos, perimus! sive cum Davide: Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ, usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est statio. Veni in altitudinem aquarum, & alveus inundatione circumvenit me, Psal. 69. vers. 1. 2.

Verum quando suavissimas illas promissiones recordamur, quos Deus fidelibus suis dedit, certi esse possumus, quamvis fidei & vitæ nostræ navicula labascet, neutiquam tamen eam submersum iri, quia Dominus ei dabit in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam, Sap. 14. v. 4. Fidelis enim est, nec sinit quæquam tentari, supra id quod potest, sed facit cum tentatione evasione, 1. Cor. 10. v. 13. dum in portum veniamus, & feliciter appellamus, in cælesti patria, ubi  $\lambda\alpha\lambda\alpha\lambda$

non amplius erit, sed  $\gamma\alpha\lambda\omega\nu\ \alpha\iota\omega\nu\ \Theta$ , Psal. 16. v. ult.

### Secundo.

**S**equitur *Medela*, quæ fluit  
I. *Ex Christi præsentia*. Sicut enim cum discipulis in navi fuit, ita nec hodie nos Orphanos relinquet, Joh. 14. v. 18. Quam amice compellat nos? Noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine tuo. Meus es tu. Cum transferis per aquas tecum ero, & flumina non operient te, Esa. 43. v. 12. Psal. 91. v. 15.

Propterea enim ipse conscendit navem, & fluctus iræ divinæ sustinuit, ut tentaretur in omnibus, sicut & nos, & compati possit infirmitatibus nostris, Hebr. 4. v. 15. ideoque animam non despondeamus, quando Tyranni desæviunt, instar venti hujus, ut evertant atque submergant naviculam Christi. Christus submergi & perire nequit. Quomodo nos fluctus ejus sepelirent, qui ab utero ejus portamur? Esa. 46. v. 3. Certe qui nos impugnat & persequitur, ipsum persequitur, Zach. 2. v. 8. & grave erit ei adversus stimulum calcitrare, Act. 9. v. 5.

Quod si igitur hunc Navarchum nobiscum habemus, plane in portu navigamus: Ringat Satanas, aquam & ignem evomat, frustra desæviet, hic enim Immanuel est, Esa. 8. v. 10.

II. *Ex Christi Clementia*. Non enim Christus discipulos suos ob fidem infirmam abjicit, sed objurgat eos, & hoc ipso in gratiam recipit.

Hoc exemplo confirmemus nos, quando tempore tentationis nos quoque imbecil-

becillitatem nostram sentimus, & Draco infernalis tela sua ignita in nos torquet, ut scire sine fide videamur esse. Hoc idem Apostolis accidit, Christum invisibili & corporali specie fecum habentibus & verba vitæ ex ore ejus dulcissimo quotidie audientibus, quare compellavit eos dicens: Quid timidi estis *ὄλιγοίπιστοι*? Verum sicut hoc ipso non abjecit ipsos, sed potius confirmavit, & roboravit, ita nec hodie calumnam quassatam confringet, nec linum fumigans exstinguet, Esa. 42. v. 3. Virtus enim ejus in infirmitate perficitur, 2. Cor. 12. vers. 9.

Hæc nostra fiducia esto, nec omnino desperemus, si fides nostra quandoque infirmior sit: sed cum D. Crucigero dicamus: Invoco te Domine, fide licet infirma, attamen fide. Interim cum Discipulis Christi oremus: Domine adauge nobis fidem, Luc. 17. v. 5. Et cum patre Lunatici: Credo Domine, adjuva incredulitatem meam, Marc. 9. v. 24. Sic Deus omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam, in Christo Jesu, modicum passos, ipse nos instaurabit, confortabit, roborabit, fundabit, 1. Petr. 5. v. 10. Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, Eph. 4. v. 13. ubi non amplius ambulabimus per fidem, sed per speciem, 2. Cor. 5. vers. 7. & quod hic credidimus, plene possidebimus in requie securitatis, in sempiternum, Esa. 32. v. 18.

III. Ex Christi potentia, quam hoc ipso probat, quod verbo tempestatem sedat. Incepavit enim ventos & mare, & secuta est tranquillitas magna.

Eadem virtute adhuc hodie pollet Servator. Ventus, qui naviculam Christi ita impugnavit, à Marco vocatur *καλαψ*, quod turbinem notat, c. 4. v. 37. & eodem nomine insignit Petrus Pseudo-Prophe-tas, qui spiritu vertiginis in acie stant, & naviculam Christi submergere satagunt: ad hoc non parum conferunt Tyranni, imprimis vero Anti-Christi in Oriente & Occidente, qui hæcenus vehementer naviculam Christi impugnavit: Siquidem Bajazetes I. Turcius ille Imperator nomen *καλαψ* gessit, quod & opere ipso probavit, dum sicut fulmineis aper dentibus adversus Ecclesiam desævuit. Attamen Diabolus naviculam Christi superare non potuit, sed inter decumanos fluctus facta tecta servata est, & servabitur, usque ad diem extremum, ut pleni fiducia cum Paulo dicere possimus: In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, &c. 2. Cor. 4. v. 8.

Xerxes Rex Persarum, potentia sua superbiens, Græcos magno cum exercitu invasit: sed infelici cum successu, nam ex decies centenis millibus vix pauci elapsi sunt, quin & ipse scapha piscatoria vitæ suæ consuluit.

Sic adhuc hodie hostes Ecclesiæ potentiam suam ostentant, sed nolunt animadvertere, quod Domino Spiritus in naribus est, Esa. 2. v. 22. Furor hominum est laus ejus, reliquiis furoris accinget se, Psal. 76. v. 11. Quis igitur pertimesceret? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. 8. v. 31. Hi in curribus: & hi in equis: nos autem nominis Domini Dei nostri recordabimur, & vexilla erigemus, Psal. 20. vers. 6. 8.

## De Tertio,

**R**estat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

I. *Navem intra*. Hic Discipulos Christi navem cum Domino conscendisse, & cum eo navigasse, audimus. Ita, si Christi discipuli esse velimus, in navicula ejus degamus necesse est. Extra Ecclesiam non est salus.

Tempore diluvii omnia in aquis perierunt, excepto Noë, & qui cum eo in arca fuerunt, Gen. 7. v. 7.

Idem eveniet die novissimo, quando Dominus fluctus iræ suæ mittet super mundum: ibi nemo servabitur, nisi qui in Ecclesiæ navicula, & verum Christi membrum per fidem factus fuerit. Nam in monte Sion & in Jerusaleme, hoc est, in Ecclesia erit salvatio, Joël. 2. v. 32.

Ideo opus est, ut Deo gratias agamus, quod & nos in naviculam suam adsciverit & in communionem Sanctorum vocaverit. Nunc non amplius hospites & advenæ, sed cives Sanctorum, & domestici Dei sumus, Eph. 2. v. 19. genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, 1. Petr. 2. v. 9.

Aliæ naves magnitudine, pulchritudine & potentia excellant, sicut de nave Cleopatæ, qua in Siciliam navigavit, memoratur, quod vela purpurea, remos argenteos, & sericos funes habuerit, quem luxum & Tyri habitatores olim in navibus suis ostendisse, constat ex Ezech. 27. v. 5.

Nos felices existimamus nos, quod in hortiola Ecclesiæ navigamus, nec offendi-

mur, quod coram mundo spreto & abjecti in ea fere inveniuntur, qui non ignoramus, quod David ait: Consumti sunt fideles, à filiis hominum, Psal. 12. vers. 2. Et iterum: Afflictus & inops laudabunt nomen tuum, Psal. 74. v. 21. Confer Matth. 7. vers. 13. Laudemus igitur Deum, qui nos in naviculam Ecclesiæ adsumsit, quo ipso Judæis, Turcis & gentilibus palmam præripimus, cum Davide dicentes: Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus, Psal. 103. vers. 1. seqq.

II. *Christum excita*. De discipulis Christi Evangelista refert, quod excitavit Dominum è somno, qui & statim surrexit, & divinam suam virtutem & omnipotentiam ostendit.

Nos melius medium non habemus, quo Dominum suscitemus, quam orationem, hoc ipso clamorem edere, Dominumque ad misericordiam movere possumus, ut auxilio suo subveniat nobis. Multum enim valet deprecatio justis assidua, Jac. 5. v. 16. Psal. 145. v. 19.

Fiat hæc

1. *Cordialiter*. Deus enim cor intuetur, 1. Sam. 16. v. 17. si cor absit, Deo abominatio est, Matth. 15. v. 8.

Sicut igitur in V. T. omne primogenitum tam hominum quam pecorum Deo sanctificandum fuit, Exod. 13. v. 2. Sic & in N. T. cor requirit. Da mihi fili, cor tuum Prov. 23. v. 26. hoc vera primogenitura est, primum vivens & ultimum moriens, ut Aristoteles ait. Hoc semper adesse oportet, si oratio, & cultus noster ab eo suscipi debeat. Ne sis inobediens timori Domini, &

ne

ne accesseris ad eum duplici corde, Sit. 1. vers. 32.

2. *Communiter.* Hic Discipulos conjunctim Dominum inclamare audimus: Domine, serua nos, perimus. Sic & nos unanimi concentu preces nostras ad Deum deferamus. Vis enim unita fortior. Dico vobis, inquit Servator, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quam eunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est, Matth. 18. v. 19.

3. *Conformiter,* juxta verbum Dei, quod unice ad Deum nos relegat, ut eum piis precibus sollicitemus, sicut & Discipuli hic fecerunt. Est enim Rex ille, qui operatur salutem in medio terræ, Psal. 74. v. 12.

Si ita preces nostras fuderimus, Christus mox excitabitur, & auxilio suo aderit nobis, ut homines annuncient opus ejus, & opera ejus prudenter considerent, Psal. 64. vers. 10.

III. *Meliora spera.* Apostolis præsentissima mors obversabatur; verum continuo ad preces eorum cessavit tempestas, & facta est tranquillitas magna.

Hoc ipso conditio præsentis vitæ delineata est, ubi non semper Sol radiis suis refulget, sed & nonnunquam turbidæ nubes nimbis & grandine gravidæ apparent, qui facile ad mandatum Domini terræ damnum inferre possunt. Ideo ad utrumque parati simus, ut in die bona fruamur bonis, & malum diem videamus, sicut enim hanc, sic & illam fecit Deus, Eccles. 7. v. 15.

Cum Romæ tempore Domitiani Imperatoris omnia in extremo discrimine versarentur, & interitum minarentur, Cornix in Capitolio sedens identidem clara voce clamabat: Ἐστὶ πάντα καλῶς.

Idem & nos meminerimus, si in hoc mundo res adversæ oboriantur:

- - Post nubila Phœbus.

Quia non repellat in sempiternum Dominus, etiam si affligit, & miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum, Thren. 3. v. 31.

Cum Nebucadnezar expeditionem susciperet adversus Judæam, ut eam bello peteret, jubebatur Jeremias agrum emere, in Anathoth, hoc ipso populum confirmaturus, ne omnino animum abjicerent, fore enim tempus, quo domus, agri & vineæ emerentur in terrâ illâ, Jer. 32. v. 7. Hæc spes nos quoque erigamus, si forte res adversæ ingruant, quod melior rerum facies futura sit, & nunquam confundemur, Rom. 8. v. 5. Sicut enim anchora navim sustentat, ne à fluctibus velanis concutiatur: Ita spes Christianos cruce pressos fovet, ne à fluctibus persecutionum & tribulationum omnino commoveantur. Hinc eam Apostolus anchoram tutam & firmam animæ appellat, Hebr. 6. v. 19.

- - Credula viram

Spes fovet, & melius cras fore, semper ait.

Quod Ecclesia eleganter ita exprimit:

Spes præstolat optimum  
Tempus Deo promissum:  
Non qua, futurum gaudium  
Id sit, die, decisum.  
Scit ille tempus optimum,  
Nullumque nobis dat malum,  
Hæc spes reposta nobis.

Id si fecerimus, aliquando in portu vitæ æternæ feliciter appellemus, ubi habebimus societatem cum Patre & Filio, 1. Joh. 1. vers. 3.

Cum Regina Arabiæ Hierosolymam ad Salomonem accederet, & sapientiam ejus audiret, non continere se ultra potuit, quin dixerit: Verus est sermo, quem audiui in terra mea, de rebus tuis, & super sapientia tua. Major est sapientia tua, & bonum, quàm rumor, quem audiui, 1. Reg. 10, 6. seq.

Similiter nos quoque navigatione vitæ hujus feliciter exantlatâ, ubi ad insulas Fortunatas appellemus, quorsum vela dirigimus, plus boni accipiemus, quam in hoc mundo putavimus. Erit enim abundantia gaudiorum cum vultu ejus, & delectationes in dextera ejus, in æternum, Psal. 16. v. ult.

Id quod nobis obtingat per Christum, Amen.

## DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

*Evangelium Matth. 13. v. 24. - 30.*

EXORDIUM.

**C**um Isaac in Palæstinâ degeret, sevit in illâ terrâ, & invenit in ipso anno centuplum, quia benedixit ei Dominus. Ob hoc invidentes ei Palæstini, omnes puteos, quos foderant servi patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt, implentes humo, Gen. 26. v. 12. seqq.

Isaac typus Christi fuit:

I. *Ratione seminationis.* Sicut enim Isaac semen suum terrenum juxta Gerar sevit, quæ interpretative est civitas peregrinationis, & benedictionem divinam tempore messis expectavit: Ita & cœlestis ille Isaac, Servator noster JESUS CHRISTUS, semen incorruptibile verbi sui in hoc mun-

do disseminavit, qui vere civitas peregrinationis est, in qua non habemus manentem civitatem, sed futuram inquirimus, Ebr. 13. v. 14. potissimum ubi ipse in diebus carnis suæ pertransiit, benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo. Act. 10. v. 38. certissimâ spe fretus, copiosissimam tandem filiorum Dei messem secururam, & semen verbi, quod egressum de ore suo, non reversurum esse vacuum, Esa. 55. v. 11.

2. *Ratione benedictionis.* Sicut enim Dominus Isaac benedixit, ut semen ejus centuplo fructificaret: Sic & semen verbi divini, quod Christus è sinu Patris attulit, & enarravit nobis, Joh. 1. vers. 18. aliud centuplum, aliud sexagecuplum, aliud trigecuplum fructum dedit, Matth.